

26. 52.  
1





DANIELIS NETTELBLADT  
PRAECOGNITA  
SPECIALIA  
IVRISPRVDENTIAE  
PRIVATAE COMMVNIS  
ROMANO-GERMANICO  
FORENSIS.

---

IN  
VSVM PRAELECTIONVM.



EDITIO LEGITIMA SECVNDA.

---

HALAE  
EX OFFICINA RENGIERIANA:  
MDCCLXXIX.

DANIELS RECHENKUNST  
PRAELECTIO  
STRIATA  
CHRISTOPH VON WOLFF  
PRIVATAE COMMUNE  
ROMANO-GERMANICO  
FORENSIS

KÖN. PR. FR.  
UNIVERS.  
ZVHALLE





L. B.

S.



Quanti faciam scripta propae-  
deutica, vel ex eo patet,  
quod non solum a. 1747  
*praecognita vniuersae eruditionis generalia,*  
quae a. 1755. typis repetita, euulgaue-  
rim: sed et a. 1759. prodierint me aucto-  
re *praecognita iurisprudentiae positivae ge-*  
) ( 2 *neralia,*

## PRAEFATIO.

*neralia*, nunc *novae introductioni in iurisprudentiam positivam Germanorum communem*, quae hoc anno lucem adspexit §. I. seqq. inserta. Ast, nec eruditionis vniuersae, nec iurisprudentiae positivae, praecognita generalia sufficiunt: sed praeterea in singularum iurisprudentiae positivae partium praecognitis specialibus, ea ulterius evoluenta, et magis determinanda sunt, quae in praecognitis generalibus non nisi generatim tractari possunt. Licet vero non desint praecognita specialia nonnullarum iurisprudentiae positivae partium: defectus completorum praecognitorum iurisprudentiae privatae tamen eo magis dolendus, quo magis

gis



## PRAEFATIO.

gis iis indigemus ideo, quoniam ex more maiorum haec iurisprudentiae pars ad seriem titulorum in Pandectis doceri solet, et nec optima compendia iuris Digestorum vix quidquam eorum continent, quae ad veri nominis praecognita iurisprudentiae priuatae specialia spectant. Hinc illotis manibus plerumque aggreditur cupida legum iuuentus studium iurisprudentiae priuatae, quod non potest non tristes producere effectus. Mearum itaque partium esse duxi, supplere hunc defectum, et breuibus positionibus comprehendere, quae ignorare non debet, qui bene praeparatus arduum et prolixum iurisprudentiae priuatae studium aggredi vult.

)( 3

Quum

## PRAEFATIO.


Quum vero iurisprudentiae privatae studium in toto suo ambitu consideratum, complectatur et romanae et germanicae et forensis iurisprudentiae privatae studium, dum non solum ipsum ius romanum et germanicum explicandum, sed et quodnam horum iurium hodie in foro triumphet, definiendum: et praecognita iurisprudentiae privatae omnia ea complecti necesse est, quae ratione totius studii iurisprudentiae privatae ad praecognoscenda referri possunt, hinc praecognita *iurisprudentiae privatae Romano-Germanico-Forensis* dicenda sunt. Scio quidem extare iam ab aliis conscripta praecognita iurisprudentiae privatae, eoque re-  
ferri

PRAEFATIO.


ferri posse in fronte libelli laudata scripta  
BVCKII, HERTZOGII, et, qui primo loco  
nominandus fuisset, celeberrimi et eruditi  
Viri CAR. FRID. WALCHII. Ast, neuter  
horum ad vtrumque ius, romanum nimi-  
rum et germanicum simul suas extendit cu-  
ras; praetereaque ea quae spectant iurispru-  
dentiam forensam, nemo horum tractavit.  
Ne itaque mihi porro desit libellus, ad cuius  
ductum ea, quae lectionibus Pandectarum  
et iuris germanici priuati praemittenda esse  
censeo, tradi possunt, festinanti calamo haec  
praecognita in vsum harum praelectionum in  
chartam conieci, et statim typis mandari cu-  
raui. Dabam Halae d.V. Oct. MDCCCLXXII.

Post


## PRAEFATIO.




Post furtiuam recusionem horum praecognitorum, cuius criminis auctorem, et locum vbi commissum, ignoro, prodit haec secunda legitima editio, quae et vel ideo, vt lucrum ex recusione speratum intercipiatur, ita aucta et emendata, vt fere noua videri possit. Praeterea et ex variis aliis causis multa mutanda fuerunt, et praesertim nouissima, vt et in prima editione praeteruisa, scripta supplui. Haec sunt quae de hac noua editione monenda fuerunt. Dabam Halae d. XI. Oct. MDCCLXXIX.



PRAE-



PRAECOGNITA SPECIALIA  
IVRISPRVDENTIAE PRIVATAE  
COMMVNIS  
ROMANØ - GERMANICO - FORENSIS.



GEORG. LVDEW. HERTZOG *Commentatio iuridica, in qua praecognita iurisprudentiae romanae mathematicorum ordine explicantur.* Ienae 1736. 8.

IO. CHRIST. BVCKII *Prolegomena iurisprudentiae civilis privatae, methodo scientifica conscripta.* Lipsi. 1731. 8.

CARL FRID. WALCHS *Vorbereitungsgründe der teutschen bürgerlichen Rechtsgelehrtheit.* Ienae 1757. 4.

GEORG. HENR. POTSCHKA *Prolegomena in ius civile romanum.* Wetzlariae 1776. 8.

§. I.



Eius partis iurisprudentiae theoreticae secularis, quae sub nomine *iurisprudentiae privatae* opponitur iurisprudentiae publicae, praecognita specialia, redeunt ad ea quae de eius 1) *natura et indole*; 2) *fontibus specialibus*; 3) *subsidiis specialibus*; 4) *methodo speciali*, ipsi systemati iurisprudentiae privatae praemitenda sunt.

A

SECTIO

## SECTIO I.

DE

IVRISPRVDENTIAE PRIVATAE  
NATVRA ET INDOLE.

## §. 2.

**A**d cognoscendum indolem iurisprudētiaē privatae faciunt, quae de eius 1) *genuina notione*; 2) *partibus*, scitu necessaria sunt.

## TIT. I.

DE IVRISPRVDENTIAE PRIVATAE  
GENVINA NOTIONE.

## §. 3.

**E**t si IMPERATOR in §. 4. I. de I. et I. vbi loquitur de studio iuris, totum ius diuidat in publicum et priuatum, dum ait: *huius studii duae sunt positiones publicum et priuatum. Publicum ius est, quod ad statum rei romanae spectat. Priuatum est, quod ad singulorum utilitatem pertinet*: in docenda iurisprudētia positiua Germanorum tamen haec iuris, pro iurisprudētia summi, diuisio, tanquam generalis diuisio totius iurisprudētiaē in duas partes, admitti nequit. Est potius, prout ex praecognitis generalibus iurisprudētiaē positiuae Germanorum constat, diuisio iurisprudētiaē in publicam et priuatam, subdivisio eius partis iurisprudētiaē theoreticae ciuilib, quae sub nomine iurisprudētiaē secularis alodialis venit. Licet vero, et quoad alias iurisprudētiaē partes haec subdivisio in scriptis Actorum obuenire soleat, quoad eas tamen eam admitti, nec necesse est, nec expedit,

## §. 4.

## §. 4.

In eruenda genuina notione iurisprudentiae priuatae omnia redeunt ad status publici reipublicae, tam in genere, quam in specie status publici germaniae, notionem. Est vero *status publicus reipublicae* (*die Staatverfassung*) complexus omnium eorum, quae rempublicam ipsam eiusque regimen concernunt, tam quoad rempublicam in se, quam in relatione ad alias respublikas, sicque alias gentes, spectatam, indeque oritur status publici in *internum* et *externum* diuisio. Quod si nunc ponis rempublicam, quae in quaestione est, esse Germaniam, per se patet quid sit *status publicus Germaniae* (*die teutsche Staatsverfassung*), nimirum complexus omnium eorum, quae Germaniam ipsam eiusque regimen concernunt.

## §. 5.

Ex his quae de statu publico dicta sunt formanda est notio iurisprudentiae priuatae. Sunt inter veritates iuridicas, seu veritates de iuribus et obligationibus, quae delicta non concernunt, quae constituunt iurisprudentiam *ciuilem*, sic in oppositione ad criminalem iurisprudentiam dictam, praetereaque nec modum expediendi negotia iuridica ciuilia, nec sacra Christianorum, nec feuda concernunt, tales, quarum obiectum status publicus reipublicae non est. Si hae veritates in formam artis rediguntur, inde oritur *iurisprudentia priuata*, quae itaque est ea pars iurisprudentiae theoreticae ciuilis, et quidem secularis allodialis, quae continet veritates iuridicas statum publicum non concernentes. Opponitur ei *iurisprudentia publica*, de qua non hic sed alibi agendum.

## §. 6.

Quae cum ita sint per se constabit, tam de *nexu*, quam de *limitibus*, inter iurisprudentiam priuatam ab vna,

et omnes reliquas iurisprudentiae partes ab altera parte. Unde quoad genuinam eius notionem non nisi hoc monendum superest, iurisprudentiam priuatam etiam simpliciter sub *iuris ciuilibus* nomine venire, licet ob varios iuris ciuilibus significatus potius iurisprudentia priuata (*die Privatrechtsgelahrtheit, bürgerliche Rechtsgelahrtheit*) dicenda.

VLR. OBRECHT *Or. de conuersione iuris priuati et publici.*  
Argent. 1682. et in EIVS academicis in vnum volumen  
collectis pag. 515 seqq.

DIET. HERM. KEMMERICH *de arctissimo iuris publici  
priuatiq[ue] nexu.* Ienae 1730.

CHRIST. LVD. SCHEIDT *iuris publici et priuati differen-  
tiae principes.* Frfc. et Lips. 1749.

## TIT. II.

DE PARTIBVS IVRISPRVDENTIAE  
P R I V A T A E.

## §. 7.

**I**urisprudentia priuata ex triplici fundamento in partes diuidi potest. Est enim I. pro fontium diuersitate vel *communis* seu *uniuersalis*, *generalis*, vel *particularis*, prout fontes eius vel tales leges sunt, quae in germania, saltem in regula, vbique, et quoad omnes, qui eundem statum habent, valent: vel tales, quae non nisi in hoc vel illo loco, aut non quoad omnes eos, qui eundem statum habent, valent. Prior vel *peregrina*, vel *germanica* est, prout fontes eius sunt vel peregrinae leges, quae ex receptione in germania valent, vel leges domesticae seu germanicae. Licet vero iurisprudentia priuata romana, non nisi pars iurisprudentiae peregrinae sit: potissimum tamen in iurisprudentia priuata peregrina, tanquam



quam parte iurisprudentiae secularis et quidem allodialis, ad ius romanum recurrendum, vnde hic quoad iurisprudentiam priuatam peregrinam potissimum *romanae* iurisprudentiae ratio habenda.

10. STEPH. PÜTTER *Observatio: vom Verhältnisse zwischen gemeinen und besondern Rechten nach allgemeinen Grundsätzen überhaupt* in EIVS *Beyträgen zum teutschen Staats- und Fürstenrecht.* P. 2. num. XXII.

## §. 8

Iurisprudentia priuata romana est vel *Antejustiniana*, quae in legibus romanis ante Iustiniani tempora constitutis contenta est; vel *Iustiniana*, quae in legibus romanis a Iustiniano latis contenta est; vel *Postiustiniana*, quae in legibus romanis post tempora Iustiniani latis contenta est. Cum vero IUSTINIANVS non solum multas novas leges tulit, sed et anteriorum Imperatorum constitutiones in suum Codicem retulit, nec non iis locis in scriptis antiquorum ICIORUM obuiis, quos Pandectae continent, vim legis dedit, sub *iurisprudentiae Iustinianae* in sensu latiori nomine etiam comprehendi solent leges pandectarum, et constitutiones Imperatorum codici Iustiniano insertae quae Iustinianum auctorem non habent. Caeterum quoad *mediam iurisprudentiam romanam*, cuius mentionem facit IUSTINIANVS in §. 3. I. *de legit. agnat. success.* his verbis: *media autem iurisprudentia, quae erat quidem lege duodecim tabularum iunior, imperiali autem dispositione anterior*, adhuc notandum, eam esse partem iurisprudentiae Antejustinianae, cuius terminum a quo et ad quem IUSTINIANVS per ipsa haec verba distincte satis determinauit.

10. VOLCK. BECHMANN *de media iurisprudentia ICiorum Romanorum.* Ienae 1668.

## §. 9.

Iurisprudentia priuata germanica vero vel *antiqua*, vel *media*, vel *noua* est: prout eius fontes sunt vel antiquae, vel mediae, vel nouae leges germanicae, sicque vel tales quae, a prima rerum germanicarum origine vsque ad exitum stirpis Carolingicae; vel tales quae, ab hoc tempore vsque ad tempora MAXIMILIANI I; vel tales, quae ab hoc tempore ad nostram vsque aetatem, oratae sunt.

## §. 10.

Est porro iurisprudentia priuata II. pro diuersitate eorum, quorum iura et obligationes in ea traduntur, vel *iurisprudentia priuata priuatorum*, vel *iurisprudentia priuata illustrium*, seu *heroica*, *Principum imperii* (*die Privatrechtsgelahrtheit der erlauchten Personen*): prout ii, quorum iura et obligationes traduntur, sunt vel homines priuatae fortis, vel principes et qui ad eorum familiam pertinent, seu personae illustres, secundum personam suam priuatam considerati.

10. IAC. HELFERICH *de iurisprudentia principum ordinumque S. Rom. Germ. Imperii priuata* Diff. 1. Tub. 1730. Diff. 2. ib. 1745.

## §. 11.

Sequitur III. diuisio iurisprudentiae priuatae in *antiquatam* et *hodiernam* seu *forensem*, quae oritur ex ea veritatum iuris priuati diuersitate, quod vel non amplius habeant, vel adhuc habeant, usum in decidendis casibus in foro obuidentibus. Indequae iurisprudentia priuata forensis non nisi eas veritates sub se comprehendit, quae sub nomine *usus hodierni* venire solent, et magna est inter

ter iurisprudentiam priuatam germanicam nouam (§. 9.)  
et iurisprudentiam hodiernam seu forensiam, differentia.

## §. 12.

Quodsi nunc, prout fieri debet, omnes hae partes  
iurisprudentiae priuatae secundum ordinem doctrinarum  
naturalem simul traduntur, inde oritur systema iurispru-  
dentiae priuatae. In quo si, prout in vltum praelectio-  
num academicarum fieri debet, tam iurisprudentia pri-  
uata priuatorum, quam illustrium (§. 10.); vt et tam  
peregrina, quam germanica iurisprudentia priuata (§. 7.)  
obuenit: att ut, vt, quoad iurisprudentiam priuatam  
peregrinam, potissimum iurisprudentia romana iustinia-  
nea in sensu laetiorum (§. 8.), quoad germanicam ve-  
ro, non nisi communis seu vniuersalis iurisprudentia  
germanica (§. 7. et quidem potissimum noua (§. 9.) ex-  
plicetur, addita quoad singulas doctrinas iurisprudentia  
forensi seu vsu hodierno (§. 11.): tale systema merito  
sub *systematis iurisprudentiae priuatae communis romano-  
germanico forensis* nomine venit. Ideo itaque, quod ta-  
le systema, praeter iurisprudentiam priuatam peregrini-  
nam et germanicam, simul forensiam iurisprudentiam  
priuatam contineat, nec iurisprudentia priuata Anteiusti-  
niana et Postiustiniana, nec germanica priuata antiqua  
et media, in eo plane negligenda est, et per determinatio-  
nem: *forensis*, hae partes iurisprudentiae romanae et  
germanicae priuatae non excluduntur.

## §. 13.

Att cum sint, qui iurisprudentiam priuatam ger-  
manicam communem seu vniuersalem, ad suaui somnia  
Ictorum recentioris aevi referunt, hic decidenda est quae-

stio: *an detur iurisprudencia germanica priuata vniuersalis?* Cuius quaestionis hic sensus est: an detur, seu potius cogitari possit, iurisprudentiae pars, in qua doctrinae iuris priuati ex legibus germanicis talibus, quae, saltem in regula, vbique et quoad omnes eiusdem status homines, in germania olim valuerunt, aut adhuc valent, traduntur? Distinguendo inter iurisprudentiam priuatam completam et incompletam respondendum esse censeo. *Completa iurisprudencia priuata germanica vniuersalis omnino non datur: ast incompletam dari, negari nequit.* Est vero iurisprudencia priuata completa, si, licet non omnes, tamen potiores doctrinas, quae secundum iurisprudentiae priuatae genuinam notionem ad eam referri debent, continet, et in casu opposito dicitur incompleta.

FRID. HENR. MYLIUS *de genuino iur. germ. vniuersalis hodierni priuati civilis conceptu mediisque illud meliorem in ordinem redigendi.* Lips. 1751.

IDEM *de iure consuetudinario vniuersali mediæ aevi in speculis feodonico et suenico eiusque cognoscendi ratione.* Ibid. 1756.

GVILIELMI AVG. RVDLOFF *Comm. de iure germanico iusta methodo tractando.* Goett. 1767.

O. L. ab EICHMANN *de iure germanico civili omnibus litibus in foro obuientibus sufficiente.* Duisburgi ad Rhenum.

GEORG. STEPH. WIESAND *de iure germanico melius proficiendo.* Vitemb. 1766.

IOS. LEONH. BANNIZA *de utilitate et necessitate studii iuris germanici civilis communis.* Vindob. 1760.

IDEM *de requisitis systematis iuris germanici civilis communis.* Ibid. eod.

IO. STEPH. FÜTTER *Observatio: Ob außer den untr dem Namen der gemeinen Rechte üblichen Gesetzbüchern sonst nichts*

nicht in Teutschland gemeinen Rechts seyn könne? in  
EIVS Beyträgen zum teutschen Staats- und Fürsten-  
recht. P. II. num. XXVII.

## §. 14.

Caeterum quoad iurisprudentiam priuatam foren-  
sem, seu vsum hodiernum iuris priuati romani et ger-  
manici, notandum, eum esse duplicis generis. Est enim  
vel *usus hodiernus in se spectatus*, qui locum habet extra  
casum pugnae duplicis huius iuris, et aut vsum hodiernus  
iuris romani in se spectati, aut vsum hodiernus iuris ger-  
manici in se spectati est, vel *usus hodiernus in casu pugnae  
horum iurium inter se*. In hoc vltimo casu vero iterum  
duplex est, vel *purus*, si quoad doctrinam quandam iu-  
ris priuati non nisi vnum alterumue horum iurium in fo-  
ro obtinet, vel *mixtus*, si in vna eademque doctrina iu-  
ris priuati vtrumque ius suo modo in foro obtinet.

DAV. GEORG. STRVBEN *Abhandlung von dem Misbrauche  
und guten Gebranche der alten teutschen Rechte* in EIVS  
Nebenstunden P. V. num. 32.

IO. STEPH. PÜTTERS *Observatio: Erhebliche Folgen des  
Satzes, daß es zweyerley gemeine Rechte in Teutschland ge-  
be*, in EIVS Beyträgen zum teutschen Staats- und Für-  
stenrecht P. II. num. XXVIII.



SECTIO II.

DE

FONTIBVS SPECIALIBVS IVRIS-  
PRVDENTIAE PRIVATAE.

§. 15.

**F**ontes speciales iurisprudentiae priuatae differunt in eo, quod alii sint iurisprudentiae priuatae *romanae*, alii *germanicae*, alii *forensis* fontes.

TIT. I.

DE FONTIBVS SPECIALIBVS IVRIS-  
PRVDENTIAE PRIVATAE  
ROMANAE.

§. 16.

**J**urisprudentiae priuatae romanae fontes sunt 1) *leges romanae priuatae earumque analogia*; 2) *hoc fonte deficiente, rei natura ea quam apud Romanos habuit*. Quod attinet primum fontem, is pro ea diuersitate iurisprudentiae priuatae romanae, quod sit vel *Anteiustinianca*, vel *Iustinianca*, vel *Postiustinianea* (§. 8.), differt.

§. 17.

Sunt vero I. iurisprudentiae romanae *Anteiustiniancae* fons, eae ex historia iuris romani, quae hic praesupponitur, notae leges romanae, quae ius romanum Anteiustinianicum constituunt, veluti 1) *leges regiae*; 2) *ius naturae, gentium et ciuile in sensu iuris romani, quod tempore liberae reipublicae obtinuit, praesertim vero ius ciuile, tam stricte sic dictum eiusque variae species, quam honorarium, praecipue praetorium*; 3) *senatusconsulta*;

A) *con-*

4) *constitutiones Imperatorum Anteiustinianeorum*, sicque *Codex Gregorianus*, *Hermogenianus* et *Theodosianus*.

§. 18.

Fontes II. iurisprudentiae romanae *Iustinianae* pro duplici eius significato (§. 8.) differunt. In stricto significato si sumitur, eius fons sunt *Constitutiones Imperatorum*, quae ipsum *IUSTINIANVM* auctorem habent. In latiori significato fontae iurisprudentiae romanae *Iustinianae* fontes vero sunt non solum 1) *hae leges*: sed et praeterea 2) *omnes in compilationibus legum romanarum*, quae *IUSTINIANO* auctore factae sunt, *obviae leges*, nimirum in a) *Institutionibus Iustinianis*; b) *Pandectis*; c) *Codice repetitae praelectionis*; d) *Nouellis constitutionibus*. At quae in his compilationibus, praesertim *pandectis*, obveniunt *praecepta moralia, politica, physica, medica, oeconomica*, ut et quae ad *grammaticam, logicam* etc. pertinent, prout leges non sunt, ita nec ad fontes iurisprudentiae romanae referri possunt.

10. FRID. KLETT *de iuris Iustiniani placitis, quae vim legis non habent*. Erlangae 1748.

§. 19.

Quae ad III. *Postiustinianae* iurisprudentiae fontes referri possunt leges romanae, sunt praesertim 1) *Basilicorum libri*; 2) *Nouellae Leonis*.

§. 20.

Haec sufficiant de primo fonte iurisprudentiae privatae, legibus romanis, dum de earum analogia, sicque de *analogia iuris romani*, valet, quod valet de analogia iuris in genere. Progredior itaque ad secundum fontem (§. 16.) nimirum *rei naturam, quam apud Romanos habuit*,

*buit*, de quo fonte vero nihil hic speciatim notatu dignum dici potest, eamque ab analogia iuris romani diuersam esse, ex ipsa analogiae iuris definitione per se patet.

## §. 21.

Fontinum iurisprudentia priuatae romanae, quae sunt leges romanae, *interpretationem* quod atinet, sunt quidem qui varia specialia hic obuenire contendunt: ast, me iudice, non nisi generales regulae de interpretatione legum, in legum romanarum interpretatione, locum habent. Neutiquam enim defendi potest aliter textus Institutionum, aliter Pandectarum, aliter Codicis et Novellarum interpretandos esse, et hic diuersas interpretationis regulas obtinere. Loquor vero de ipsa interpretatione, non de subsidiis interpretationis legum romanarum, de quibus infra agendum.

ANT. SCHVLTING *Or. de optimo genere interpretum iuris civilis* habita Harderovici 1681. in EIVS *Comm. acad.* Tom. III.

IOAN. DIETER. MELLMANN *de interpretatione legum romanarum praesertim codici repetitae praelectionis. Pars prima eaque generalis.* Kiliae 1770.

## TIT. II.

DE FONTIBVS SPECIALIBVS IURIS-  
PRVDENTIAE PRIVATAE  
GERMANICAE.

CHRIST. GOTTFR. HOFFMANN *Diss. G. Beyeri delin. iur. germ. praemissa de iurisprudentiae germanicae principis et fontibus.*

*Unpartheyische Gedanken von Herrn D. Chr. Gottfr. Hoffmanns Diss. de iuris germanici fontibus etc. von SINCERO CO-RIATO. 1723. 4.*

§. 22.



## §. 22.

Fontes iurisprudentiae priuatae germanicae et quidem  
 1. *communis seu vniuersalis* sunt 1) *leges germanicae priuatae communes earumque analogia*; 2) *hoc fonte deficiente, natura rei quam apud Germanos habet*. Primus fons differt pro ea iurisprudentiae germanicae priuatae communis diuersitate, quod sit vel *antiqua*, vel *media*, vel *noua* (§. 9.).

## §. 23.

Fontes a) *antiquae et mediae* iurisprudentiae priuatae germanicae communis sunt leges, praesertim consuetudines, germanicae antiquae et medii aevi. Licet vero, prout ex historia iuris germanici, quae hic praesupponitur, constat, dentur variae collectiones consuetudinum germanicarum antiquarum et medii aevi, non tamen hae, sed potius ipsae consuetudines, et quidem vniuersales, sunt fontes huius iurisprudentiae. Interim tamen capitularia regum Francorum huc referri possunt.

## §. 24.

Quatenus iurisprudentiae germanicae priuatae communis seu vniuersalis fons sunt *consuetudines germanicae antiquae et mediae*, constare debet de earum 1) *existentia*; 2) *vniuersalitate*. Prius probandum per testimonia fide digna, huicque vsui inferuiunt a) *collectiones consuetudinum germanicarum antiquarum et mediarum*; b) *testimonia scriptorum rerum germanicarum fide digna*; c) *formulae monachi cuiusdam Marculsi, qui circa a. 660. vixit*; d) *diplomata et demonstrationes iurium (Weisthümer)* quatenus talia continent, ex quibus euinci potest, quo iure eo tempore, quo talis charta scripta, videbantur Germani; e) *paroemiae germanicae iuridicae*, quae

14 SECT. II. DE FONTIBVS SPECIALIBVS

quae ad ius priuatum pertinent, praetereaue communes, non particulares sunt; f) *statuta in sensu latiori sumta et Scabinorum responsa huius aeni*; g) *leges antiquae eorum populorum, qui communem cum germanis habent originem.* Posterius vero per concentum horum monumentorum euincendum est.

HENR. CHRISTIAN L. B. de SENCKENBERG *de demonstrationibus iurium, denen Weisshütern in EIVS Medit. de iure vniuerso et historia pag. 718 seqq.*

10. VLR. L. B. de CRAMER *Observatio: Von der Gültigkeit eines Weisshums ohne Unterschrift in EIVS Wetzlarischen Nebenstunden P. I. num. III.*

IDEM *Observatio: Ob Weisshümer einer Veränderung unterworfen, in EIVS Wetzlarischen Beyträgen P. I. num. XVII.*

10. CAR. HENR. DREYER *de usu genuino iuris Anglo-Saxonici in explicando iure Cimbrico et Saxonico.* Kiliae 1747.

10. SALOM. BRVNQVELL *eröffnete Gedanken von dem teutschen Stadt- und Landrecht und desselben nothwendigen Excotirung.* Ien. 1721. 8. et in collectione Opusculorum EIVS Tom. I. pag. 34 seqq.

10. FRID. EISENHARTH *Grundsätze der teutschen Rechte in Sprüchwörtern.* Helmst. 1759. 8.

EIVSDEM *kurze Abhandlung von dem Beweise durch Sprüchwörter.* Erf. 1750. vt et in EIVS kleinen Schriften pag. 17 — 38.

10. AD. THEOPH. KINDIVS *de iurisprudencia germanica paraemiaca eiusque cauto usu.* Lips. 1776.

§. 25.

Sequuntur fontes b) *nouae iurisprudenciae priuatae germanicae, quae non tam consuetudines germanicae, quam*

quam potius leges germanicae scriptae, potissimum *recessus imperii*, sunt, quatenus quae in iis sancita statum publicum germaniae, praetereaue feuda, delicta, sacra Christianorum, aut praxin iuridicam, non concernunt.

## §. 26.

Alter fons quo deficientibus legibus germanicis in iurisprudencia priuata germanica communi vtendum (§. 22.), nimirum 2) *rei natura quam apud Germanos habet*, nihil habet quod singulare est et hic notari meretur, id quod etiam *de analogia iuris germanici* valet.

## §. 27.

Haec sufficiant de fontibus iurisprudenciae priuatae communis seu vniuersalis (§. 22.). Quod attinet ii. *particularem* iurisprudenciam priuatam germanicam, eam ex legibus prouincialibus et statutis, seu statutis in sensu generali sumtis, hauriendam esse, nemo ignorat. At cum non particularis, sed vniuersalis iurisprudenciae germanicae studium in academiis tractandum, et historia legum prouincialium et statutorum non sit huius loci, de hoc fonte pluribus hic non agendum.

## §. 28.

Licet iurisprudencia priuata illustrium non sit pars iurisprudenciae priuatae germanicae tantum, a potiori tamen germanica est, indeque hoc loco et de eius fontibus agendum. Ipsi fontes eius vero non differunt a fontibus iurisprudenciae priuatae priuatorum, sicque dicti fontes iurisprudenciae priuatae romanae et germanicae sunt etiam eius fontes, indeque orta est regula: *principes in causis priuatis vtuntur iure priuatorum*. Cum vero  
haec

haec regula non sit vniuersalis, nonnulla hac de re hic monenda sunt. 1) Per obseruantiam familiarum illustrium vniuersalem, in variis iuris priuati materiis, ius quo principes vtuntur in causis priuatis, differt a iure priuatorum. 2) Saepius contingit ius germanicum antiquum et medium adhuc in vsu esse inter illustres, licet quoad priuatos non amplius in vsu sit. 3) Singularum familiarum illustrium priuilegia Caesarea quae concernunt conditionem priuatam illustrium, nec non pacta familiarum illustrium, quae etiam interdum sub sanctionum pragmaticarum nomine veniunt, ad fontes iurisprudentiae priuatae illustrium communis referri nequeunt; licet sint fontes iuris quo ea familia, cuius priuilegia et pacta sunt, vtitur in causis priuatis: prout etiam inde non fuit contrarium esse iuris communis. 4) VLPIANI effatum: Princeps legibus solutus est l. 31. D. de LL. non obstat quo minus defendi possit, illustres personas in causis suis priuatis legibus suis prouincialibus non esse solutos.

IO. SALOM. BRVNQVELL de praefereutia iuris germanici pugnantis cum romano nisi huius receptio probetur in causis illustrium. Goett. 1735. et in BIVS Opusculis Tom. II. num. XXIX.

GEORG. AD. STRVV Principes legibus soluti. Ienae 1685.

DAN. FRID. HOHEISEL de principe legibus soluto. Halae 1730.

IO. GERDTR. LINDHEIMER de principe legibus soluto. Giess 1747.

ERNST. CHRIST. WESTPHAL von dem Gebrauch des Justinianischen Rechts in dem teutschen Staatsrechte und der Privatrechtsgelahrtheit der erlauchten Personen des teutschen Reiches. Halae 1779. 4.

IO. STEPH. PÜTTERS Obseruatio: Vorzüglicher Gebrauch der einheimischen gemeinen Rechte unter den teutschen hohen Adel

Adel, in EIVS Beyträgen zum teutſchen Staats- und Fürſtenrechte P. 2. num. XXIX.

IDEM Ob von beſondern Verfügungen einzelner Häuſer der Schluß gelte: daß es nur ganz beſondere Rechte ſeyen, und das Gegentheil vielmehr gemeinen Rechtes ſeyn müſſe. Ibid. num. XXX.

§. 29.

Quoad interpretationum horum fontium iurisprudentiae germanicae priuatae, hic, praesupposita hermeneutica iuridica generali, quaedam specialia de interpretatione legum germanicarum priuatarum, quae vulgo sub interpretationis statutorum nomine venire solet, addenda sunt. Circumfertur regula: *Statuta ex iure communi esse interpretanda*, in qua sub iuris communis nomine venit ius peregrinum in Germania receptum, et secundum eam interpretatio statutorum ita facienda, ut per eam ius commune minus laedatur, quorsum etiam tendit tritum illud: *statuta sunt sterilia sicut mulae quae non pariunt*. Sed falsa est haec regula, unde alia theoria de interpretatione, et quidem non statutorum tantum, sed potius iuris germanici priuati omnis siue communis, siue particularis, substituenda

IO. VLR. L. B. de CRAMER de interpretatione statutorum. Marb. 1739. et in EIVS Opusc. Tom. III. num. V.

CHRIST. HENR. FREIESLEBEN de interpretatione statutorum ex iure communi. Alt. 1735.

SIM. PETR. GASSER de brocardico vulgari: *statuta ex iure communi interpretanda esse*. Halae 1731. quae dissertatio ibidem sub veri auctoris IO. TOB. CARRACH nomine 1768. recusa.

B

§. 30.

Locus seu passus legis germanicae priuatae qui interpretandus, aut continet interpolationem iuris peregrini in legem germanicam translata, aut est lex origine tenus germanica. Pro hac diuersitate sequentes regulae notandae:

- I. Passus legum germanicarum priuatarum qui continet interpolationem iuris peregrini, ex eo iure peregrino, ex quo est, interpretandus est, et, si interpolatio non continet totam iuris peregrini sanctionem, ad omnia extendendus est; nisi manifesto appareat, omnia ideo omnia esse, quoniam non approbata sunt.
- II. Passus legum germanicarum qui non sunt interpolationes iuris peregrini, neququam ex iure communi, seu, quod hic idem est, ex iure peregrino sunt interpretandi, sed secundum regulas interpretationis iuridicae generales.

GEORG. CHRISTOPH. ALB. SPISIVS de cauta statutorum germanicorum mixti generis interpretatione. Altorffii 1764.

## TIT. III.

DE

FONTIBVS IURISPRVDENTIAE  
PRIVATAE FORENSIS.

## §. 31.

**F**ontes iurisprudentiae priuatae forensis sunt triplicis generis 1) principia generalia de legum valore in iurisprudentia positiua generali tradita; 2) praecudicia, siue sint supremorum iudiciorum imperii, siue aliorum iudicio-

dicionum praecudicia; 3) testimonia DD. qui de praxi testari possunt, sicque non simpliciter opiniones DD. Quorum fontium vero, et quomodo eo utendum, differret secundum nunc dicenda pro diuersitate specierum vsus hodierni (§. 14.).

10. STEPH. PÜTTER Obseruatio: ob und wie weit Rechts-sätze aus reichsgerichtlichen Erkenntnissen behauptet werden können, in EIVS Beyträgen zum teutschen Staats- und Fürstenrecht P. 2. num. XXXV.

§. 32.

I. Si quaestio est de vsu hodierno legis romanae seu germanicae in se spectatae, ex principiis iurisprudentiae positivae generalis de lege non obligante, et speciatim de legum romanarum et germanicarum extra casum pugnae inter se auctoritate, definiendus est vsus hodiernus.

§. 33.

II. Si quaestio est de vsu hodierno in casu pugnae iuris romani et germanici inter se, et quidem de vsu hodierno puro (§. 14.), ad principia iurisprudentiae positivae generalis de auctoritate legum Germanorum in casu pugnae inter se recurrendum est, et ex iis definiendum quodnam ius vincat alterum. At, si quaestio est de vsu hodierno mixto, (§. cit.), ius germanicum non nisi eatenus adhuc valet, quatenus id quod ex iure romano admixtum est vsum eius hodiernum non tollit.

§. 34.

III. In cuiuscunque generis vsu hodierno determinando, praecudicia et testimonia DD. qui de praxi testari possunt, non nisi hunc vsum habeant, quod 1) per hos fontes corroborari possit vsus hodiernus qui fluit ex dictis principiis;

cipiis; 2) ex his fontibus vnicè definiendus sit vsus hodiernus, si non de possibilitate vsus hodierni, sed de eius existentia tantum, sermo est, hoc est, si quidem secundum principia de legum valore, vsus legis hodiernus admittendus esset, ast tamen eius non vsus forensis defendendus: vel vice versa, licet secundum principia de legum valore vsus hodiernus legis non admittendus, eius vsus forensis tamen defendendus.

## SECTIO III.

DE

SVBSIDIIS SPECIALIBVS IVRIS-  
PRVDENTIAE PRIVATAE.

## §. 35.

Cum potiora subsidia specialia iurisprudentiae privatae, comprehensa sint sub generalibus subsidiis studii iuridici, aliunde notis: non nisi specialiora quaedam de his subsidiis in applicatione ad triplicem iurisprudentiam priuatam romanam, germanicam et forensis hic addenda sunt.

## TIT. I.

DE SVBSIDIIS SPECIALIBVS IVRIS-  
PRVDENTIAE PRIVATAE  
ROMANAE.

## §. 36.

Specialia subsidia iurisprudentiae privatae romanae sunt partim *historica*, partim *philologica*, partim *philosophica*, partim *iuridica* subsidia. Quod itaque attinet  
I. HISTORICA SVBSIDIA ea reduci possunt ad studium



dium 1) *historiae ciuiliſ romanae*; 2) *notitiae viciffitudinum iuris romani*; 3) *antiquitatum romanarum*; 4) *literaturae iuris romani*, de quibus ſingulis ſpeciatim agendum.

## §. 37.

Primum ſtudium ſubſidiarium historicum iuris romani, quod eſt ſtudium 1) *historiae ciuiliſ romanae*, verſatur circa facta quae originem et ſtatum publicum rei publicae romanae concernunt. Quae eum ita ſint illud ſub ſe continet ſtudium *historiae iuris romani*, quatenus haec facta talia ſunt, quae legum romanarum originem et fata concernunt. Licet vero totius historiae ciuiliſ romanae ſtudium ad ſubſidia iuriſprudentiae romanae referri debeat: potiffimum tamen huc pertinet ſtudium duplicis historiae iuris romani, *generalis* et *ſpecialis* ſeu *ſpecialiſſimae*, prout vel non niſi ſumma genera legum romanarum, et diuerſas earum ſpecies, vel hoc ſeu illud indiuiduum earum, concernit. Ad ſpecialiſſimam hiftoriam iuris romani praefertim pertinet *chronologia ſingularum legum romanarum*, cum qua non confundenda notitia viciffitudinum iuris romani de qua nunc agendum.

HENR. HAHNII *Or. de uſu chronologiae in iuriſprudentia.*  
Helmſt. 1640. et adiecta WIELINGII *iuriſpr. reſtituta*  
tae p. 123 ſeqq.

ABRAH. WIELINGII *Iuriſprudentia reſtituta ſue index  
chronologicus in totum iuris Iuſtiniani corpus ad modum Iac.  
Laberii, Ant. Auguſtini et Wolfg. Freymonii, noua tamen,  
et faciliore methodo collectus.* Amſtelod. 1727. 8.

PETRI RELANDI *Faſti conſulares ad illuſtrationem Codicis  
Iuſtiniani ac Theodoſiani ſecundum rationes temporum digeſti.*  
Traiecti Bat. 1715. 8.

THEODORI IANSONII ab AMELOVEN *Fastorum romanorum consularium libri duo*. Editio altera. Amstelod. 1740. 8.

## §. 38.

Quae ad subsidia historica iuris romani quidem, aut non ad historiam iuris romani, referri potest 2) *Notitia vicissitudinum iuris romani*, non tam recensio factorum est, quibus leges romanae originem et mutationem debent, quam notitia historica quae legum romanarum tenorem concernit, et in eo consistit, an et qualem mutationem secundum temporis diuersitatem subierint sanctiones huius iuris in singulis eius argumentis. Vnde haec notitia etiam historia doctrinarum seu dogmatum iuris romani dici posset.

ANT. SCHVLTINGII Or. *de iurisprudencia historica dicta Franck rae pridie Kal. Iun. 1712.* et postea inserta EIVS Iurispr. Anteiust. BVDERI Opusc. de rat. et meth. stud. iuris P. 2. num. 3. SCHVLTINGII Comment. academicis Vol. II. num. IV.

CHRIST. FRID. GEORG. MEISTER Oratio: *de studii iuris romani chronologici diligentius excolendi necessitate*. Goett. 1756. et in EIVS Opusc. num. XI.

## §. 39.

Progredior ad illud studium subsidiarium iuris romani historicum, quod sub 3) *antiquitatum romanarum* nomine venit, et iidem talis pars eruditionis est, quae potius ad notitiam, quam historiam strictè sic dictam, referri debet. Sicit enim ea notitiam institutorum omnis generis, quae apud Romanos olim in usu fuerunt. Vnde hoc studium subsidiarium sub se comprehendit sic dictam *archaeologiam iuridicam*.

FR. CHRIST. WOLLE *Archaeologiae iuridicae Specimen.*  
Lipf. 1772.

## §. 40.

Tandem inter subsidia historica praesertim notanda

- 4) *Litteratura iuris romani*, quae est pars litteraturae iuridicae ad ius romanum restricta, et sub se continet  
a) *Notitiam eorum ICtorum*, qui praesertim suis scriptis iurisprudentiae romanae culturam promouerunt, et vulgo sub *Ciuilistarum* nomine veniunt; b) *Historiam ipsius iurisprudentiae romanae*; c) *Notitiam scriptorum iuris romani*.

## §. 41.

Quod itaque attinet a) *Notitiam ICtorum qui ad Ciuilistas referri possunt*, inter ICtos omnis aevi, sicque antiquos, medios et novos ICtos, dantur Ciuilistae. Ad antiquos seu *veteres* pertinent ICti romani stricte sic dicti, quorum proceres sunt CAIVS seu GALVS, PAVLVS, VLPIANVS, PAPINIANVS. *Mediorum* ciuilistarum nominatim mentionem fieri vix opus est, dum IRNERII et ACCVRSII, nec non BARTOLI et BALDI huiusque farinae reliquorum ciuilistarum mediorum, memoria tanti non sit ponderis, ut hic resuscitari necesse sit. Ad *recentiores* ciuilistas itaque statim me conuerto, et, ut de *viuentibus* nihil dicam, quoad *demortuos*, siue *Humanistae* sint, siue, licet *Realistae* sint, tales tamen sunt, qui ob pragmaticam iuris romani scientiam, aequae illi, merentur, eorum hic mentionem fieri, sequentes, pro temporum diuersitate quo floruerunt, hic notandi sunt. Qui seculum XVI ornauerunt ciuilistae sunt ALCIATVS, CUIACIVS, DVARENVS, BALDVINVS, HOTOMANNVS, BRISSONIVS, DONELLVS etc. Se-

culi XVII. potiores ciuiliſtae ſunt GALVANVS, PERETZ, GODOFREDVS, MERILLIVS, MENAGIVS, VINNIVS, HVEER, GIPHANIVS, VVLTEIVS, STRAVCHIVS, CARPZOVIVS, LAVTERBACHIVS etc. Ciuiliſtae qui ſeculo XVIII. floruerunt ſunt: VOETIVS, NOODT, VAN ECK, SCHVLTING, WESTENBERG, WIELING, van de WATER, BYNCKERSHOEK, SCHILTER, STRYK, GVDNLING, BOEHMER, HEINECCIUS, LEYSER, WERNHER, BERGER, GEBAYER etc.

## §. 42.

Sunt porro b) *Historiae iurisprudentiae romanae* primae lineae hae. I. Prima, quae ab orbe condito orta eſt, iurisprudentia, eſt iurisprudentia romana, debetque ICtis antiquis, et inter eos ICtis romanis ſtriſte ſic dictis ſub libera republica florentibus, originem. II. Sic orta iurisprudentia romana per reliquos ICtos romanos magis magisque exulta, circa medium Seculi III. lapſa, et licet per Sec. IV. V. et VI. nondum ita lapſa, vt plane nulla eius cultura ſuperfuerit, in Occidentali Imperio tamen deferbuit per Sec. VII. VIII. IX. X. et XI. ſtadium iurisprudentiae romanae. III. Aſt aliquo modo, ſaltem in Imperio Romano Occidentali, ſepulta iurisprudentia romana, praefertim Sec. XII. per Ciuiliſtas medios in Italia reſuſcitata eſt, per quos, Gloſſatores nimirum et reliquos Ciuiliſtas medios, magno feruore quidem, aſt miſere, exulta eſt Sec. XII. XIII. XIV. XV. et Sec. XVI. quoad primam eius partem dimidiam. IV. Tandem in Sec. XVI. depulſa apud Gallos, per litterarum elegantiorum cum ſtudio iuris romani coniunctionem, barbarie, ſicque detectis purgatiſque ſonnibus iuris romani, ſereniorem faciem accepit iurisprudentia romana, et orti ſunt

sunt in Gallia inter Ciuilitas sic dicti Humanistae. V. Gallorum vestigia premere coeperunt Sec. XVII. Belgae, Germani, Itali et Hispani, licet non desint, qui in veteri luto haerebant. VI. Praeterea per sanioris philosophiae vsus in hoc, in quo viuimus, seculo, insignia incrementa coepit iurisprudentia romana.

## §. 43.

Sequitur c) *Notitia scriptorum iuris romani* quae huc redit. Sunt scripta iuris romani, praeter vnicum scriptum iuridicum generale, cuius hic mentio facienda, quod est EVERHARDI OTTONIS *Theaurus iuris romani* Ultrai. 1733 seqq. fol. partim scripta *legalia*, partim scripta *doctrinalia*, cum inter scripta iuridica casuistica non dentur quae huc referri possunt. *Legalia scripta iuris romani* sunt triplicis generis, prout spectant ius romanum

I. ANTEIVSTINIANEVM, quorsum et referri possunt scripta Ictorum romanorum, licet proprie legalia scripta non sint. Sunt vero inter scripta iuris Anteiustiniani, praeter collectionem horum scriptorum quam continet SCHVLTINGII *Iurisprudentia vetus Anteiustiniana*. Lugd. Bat. 1717. et cura AYRERI Lipsi. 1737. 4. praesertim notanda, quoad

i. Fragmenta LL. XII. Tab. et Edicti perpetui,

GOTHOFRIDI (Iac.) *Quatuor fontes iuris ciuilis*. Genuae 1653. 4. et apud OTTONEM in *Thef. iuris* Tom. III.

LOCCELLA (Aloys. L. B. a) *Tria tentamina ad illustrandas LL. XII. Tab.* Viennae 1754. 8.

26 SECT. III. DE SUBSIDIIS SPECIALIBVS

EVNCCII (Io. Nic.) LL. XII. *Tabb. suis quotquot reperiri potuerunt fragmentis restituae et observationibus critico antiquariis illustratae.* Rint. 1754. 4.

HEINECCII (Io. Gottl.) *Historia Edicti perperui.* In EIVS Opusc. posthumis. Halae 1744. 4.

2. Leges romanas strictè sic dictas.

VOORDA (Jac.) *Comm. ad L. Falcidiam.* Harl. 1738. 8.

HEINECCII (Io. Gottl.) *Comm. ad L. Iuliam et Papiam Poppacam.* Amstel. 1728. 4.

3. Fragmenta scriptorum veterum ICTORUM.

CAII *Institutionum libri quatuor*, licet non integri, apud SCHVLTINGIVM l. c.

*Tituli ex corpore VLPiani XXIV.* apud SCHVLTINGIVM l. c.

*Fragmentum veteris Icti de iuris speciebus et de manumissionibus.* Edidit, notas et emendationes adiecit Matthias RÖVER Lugd. Batav. 1739. 8.

MAIANSI (Gregorii) *ad triginta Ictorum omnia fragmenta quae exstant in iuris civilis corpore Commentarii.* Genevae 1764. 4.

*Mosaicarum et Romanarum legum collatio ex integris PAPINIANI, PAULI, VLPiani aliorumque veterum iuris auctororum libris, ante tempora Iustiniani desumpta,* apud SCHVLTINGIVM l. c.

CANNEGIETER (Herm.) *Comm. ad fragmenta quae exstant in collatione LL. Mosaicarum et Romanarum.* Franeg. 1765. 4.

CAN:

CANNEGIETER (Ioan.) *Domitii Vlpiani fragmenta libri singularis regularum et incerti auctoris collatio legum mosiacarum et romanarum.* Trai. ad Rhenum 1768. 4.

*Consultatio veteris cuiusdam Ictri* apud SCHVLTINGIVM l. c.  
*PAPIANI responforum liber et ANIANI breuiarium* apud SCHVLTINGIVM l. c.

4. Constitutiones Imperatorum.

*Fragmenta Codd. Gregoriani et Hermogeniani* apud SCHVLTINGIVM l. c.

*Codex Theodosianus* ex edit. RITTERI. Lipsiae ab ann. 1736 — 1743. VI. Tomi fol.

*Leges Nouellae V. anecdotae Imper. Theodosii Jun. et Valentiniani III. cum ceterarum Nouellarum edictarum titulis et variis lectionibus ex Cod. MS. Ottoboniano una cum aliis ed. rae.*  
*Opera IO. CHPH. AMADVTII.* Romae 1767. f.

II. IVSTINIANEVUM scil. a Iustiniano compilatum vel constitutum, quoad

I. singulas collectiones quae corpus iuris romani constituunt,

A. INSTITVTIONES IVSTINIANI.

*Institutionum seu elementorum D. Iustiniani sacratissimi principis Libri IV.* Norimb. 1529. 8.

D. IVSTINIANI *Institutiones* ex recensione Iacobi Cuiacii. Editionem curavit et animaduersiones nonnullas adiecit Io. Bernh. KOEHLER. Goett. 1772. 8.

THEOPHILI *Paraphrasis graeca Instit.* cura Guil. Ott. REITZII Tomi II. Hagae Comit. 1751. 4.

OTTONIS (Everh.) *Notae et Commentar. ad Instit.* Vitrai. 1729. 4.

VINNII

28 SECT. III. DE SVBIDIIS SPECIALIBVS

VINNII (Arnold.) *Comment. ad Institutiones*, cum animad-  
versionibus HEINECCII. Lugd. Bat. 1726. 4. mai.

COSTÆ (Iani a) *Comment. ad Institut.* Paris 1659. et  
Lugd. Bat. cura Ioan. van de WATER, cum notis  
MARCILII et MYRETI. 1710. nec non ibid. cura  
